

Pleurotus vetlinianus Dom., sp. nov.

S. DOMAŃSKI

Pileus estipitatus, lateraliter vel ex parte dorso substrato adnatus, plerumque basim concreescens et imbricatus, convexus, reniformis vel orbicularis, basi plus minusve angustatus, 3—9 cm latus et 3—15 cm longus, margine acutus, integer vel paululum lobatus, vivus aquosus, carnosus-gelatinosus, exsiccatus corneo-durus vel osseus, valide contractus, plus minusve tortus et margine involutus, superficie floccis 1—2 mm longis plus minusve coniciformibus rigidisque dense aequaliterque tectus, e griseo-fuscato flavido-fuscus, pallido-testaceus vel ochraceo-fuscus.

Trama ad basim 0,5—1,5 cm crassa, marginem versus attenuata, mollis, succosa, in strato 1—2 mm crasso lamellis proximo gelatinosa et superficiem pilei versus carnosus-gelatinosa vel fere carnosus gradatim fiens, albida, exsiccatione corneo-dura et lamellas versus flavido-fusca, in strato gelatinoso autem atro-brunnea.

Lamellae 5—10 mm latae, basi sua usque ad 1 mm crassae, inaequaliter longae, decurrentes, subconfertae, ad basim pilei ramificatae, ad eius marginem autem plus minusve flexuosae, haud denticulatae, vivae gelatinosae, molles, albidae, dein pallide flavido-fuscae et pruinosae, exsiccatae corneo-durae, tortae contractaeque, fragiles, cinnamomeo-brunneae.

Flocci in superficie pilei ex hyphis tenuitunicatis, fibulatis, aequaliter crassis 2—3,5 μ , hyalinis vel pallide flavidis, directis vel paulum flexuosis.

Trama pilei ex hyphis tenuiter vel subcrasse tunicatis, plerumque inaequaliter 3—15 μ crassis et saepe vesiculosus, valide flexuosus, in cute pilei pallide flavidis, sub cute et infra hyalinis, sat laxe intricatis et gradatim magis et magis conglutinatis gelatinosisque, in strato gelatinoso et in trama lamellarum autem omnino gelatinosis et conferte irregulariter conglutinatis.

Subhymenium ex hyphis aequaliter 2—3 μ crassis, pallide flavidis, haud gelatinosis.

Hymenium e basidiis et cystidiis constat. *Cystidia* hyalina vel flava, tenuitunicata, anguste fusioidea vel cylindraneo-fusioidea, 2—4 μ crassa, apice plus minusve filiformi saepe flexuoso super basidiis 10—35 μ prominentia, copiosa plerumque apud aciem lamellae et in carpomatibus vivis et juvenilibus, dein fere evanescentia. *Basidia* fla-



Fig. 1. *Pleurotus vetlinianus* Dom. Carposomata typi ad truncum *Fagi silvaticae* in monte Dział prope vicum Wetlina iacentem, 9.IX.1958 ($\times 1/1$).




Fig. 2. *Pleurotus vetlinianus* Dom. Sectio perpendicularis pilei exsiccati cum strato gelatinoso ut zona obscura lamellis proxima visibili ($\times 2/1$).

vida, $20-45 \times 5-6 \mu$, sterigmatibus binis vel quaternis, $4-5 \mu$ longis instructa. Sporae elongatae-ellipsoideae, interdum cylindraceo-ellipsoideae, saepe minutis irregularibusque granulis substantiae gelatinosae tectae, $7-9 \times 3,5-4,5 \mu$, laeves, hyalinae, haud amyloideae, guttulis pluribus intus saepe praeditae.


Hab. Ad ligna truncorum *Fagi silvaticae* humi iacentium in fagetis virgineis Carpatorum in Polonia, in duobus locis prope vicum Wetlina, distr. Ustrzyki Dolne, IX. 1958 (leg. S. Domański) et VIII. 1962 (leg. M. Lisiewska). Typus in herbario mycologico Instituti Entomologico-Phytopatologici, Siemianice, distr. Kępno, Polonia.

Adnotatio. Huic fungo proprietates frequentes sunt communes cum genere *Hohenbuehelia* Schulz., cui hae species de genere *Pleurotus* Fr. annumerantur (Moser 1955), quae carposomata plerumque estipitata pileis carnosus cum strato gelatinoso sub cute formant.

Pleurotus vetlinianus Dom. proprietates nonnullas praesertim duorum fungorum: *Hohenbuehelia atrocoerulea* (Fr.) Sing. et *Hohenbuehelia mastrucata* (Fr.) Sing. comprehendit. Carposomata eius tamen

Fig. 3. *Pleurotus vetlinianus* Dom.

Structura microscopica carposomatium typi: A — sectio perpendicularis pilei cum strato gelatinoso (a) ($\times 10$), B — fragmentum hymenii cum duobus basidiis et septem cystidiis (b), c — hyphae tenuitunicatae de floccis superficialibus, d — hyphae parietibus subcrasse tunicatis et e — hypha tenuitunicata de parte superiore trameae pilei ($\times 500$), f — quatuor sporae ($\times 1000$).



maiora robustioraque sunt. Superficies pileorum eius autem strato crasso floccorum rigidorum tota tecta est et trama in strato lamellis proximo et in lamellis maxime gelatinosa est, sicut id saepe observatur apud species generis *Resupinatus* Nees ex S. F. Gray, cui tamen — ut constat — fungi minuti de genere *Pleurotus* Fr. pileis plus minusve inverse patelliformibus gelatinosisque et sine cystidiis in hymenio solum apponuntur.

Graviora multo discrimina in structura hymenii apparent. In hymenio enim fungorum generis *Hohenbuehelia* Schulz. cystidia propria, plerumque crassitunicata et fusoides, apice subulato vel obtuso et saepe plus minusve incrustato adsunt. Praeterea cystidia illa firmiora esse videtur, quoniam ea etiam in carposomatis vetustioribus observari possunt. Cystidia *Pleuroti vetliniani* autem tenuitunicata, infirmiora sunt et plerumque solum apud carposomata juvenilia, viva, non exsiccata cognosci possunt. Respectu hoc cystidiis tenuitunicatis hymenialibus *Stereii purpurei* (Pers. ex Fr.) Fr. ea paulum similia sunt, quae etiam rapide evanescent et saepissime iam apud carposomata matura sub oculos non cadunt.

Stacja Entomologiczno-Fitopatologiczna
Poznańskiej WSR, Siemianice, pow. Kępno

REFERENCES

- Exell A. W., 1924—26, An investigation of the hymenium of three species of *Stereum*, Trans. Brit. Myc. Soc., 10:207—215.
- Moser M., 1955, Die Röhrlinge, Blätter- und Bauchpilze (*Agaricales* und *Gastromycetales*), Kleine Kryptogamenflora herausg. von H. Gams, Band IIb, II Auflage, Stuttgart.
- Pilát A., 1935, *Pleurotus* Fr. Atlas des Champ. de l'Europe, Série A, Fasc. 6, Praha.